



Vm egregia sit pietas, & præstantissimum in terris Principum munus ac beneficium bonas literas omnesq; honestas disciplinas & artes tueri, ac conseruare: semper illustrissimus Princeps Vuilhelmus comes Palatinus Rheni utriusq; Bauariæ Dux &c. Singulari cura, ac summa liberalitate, exemplo maiorum suorum, hoc perfecit, ut Gymnasium suū Ingoldstadiense, eruditissimis uiris & in omni doctrinarum genere absolutis professoribus cōspicuum atq; illustre esset, tāquam celebre aliquod optimarum artium emporium. Quam ob causam nostra Ingoldstadiensis Academia, nullis unquā Germaniæ scholis merito debuit posthaberi. Hoc uero tempore, cum ueluti magna tempestate literæ passim eiectæ sint, & multis in locis contempe iaceant: non solum non patitur Illustrissimus noster Princeps in sua prouincia bonarum literarum studia collabi, aut omnino intercidere: Verum etiam ardentibus uotis, maioribusq; quàm antea sumptibus propositisq; præmijs de integro ferè post recentem hostiū impressionem, & bellicos motus sopitos, aerisq; salubritatem recuperatam, omnium studiorum & facultatum Professores, uiros excellentissimos magnis præmijs partim retinuit, partim ex Italia Germaniq; conuocauit. Qui quidem non modo in Iurisprudentia: in qua hactenus præter cæteras excelluit Academia nostra: Verum & in sacra Theologia & Medicina omniumq; bonarum artium professione eruditionis palmam tenent. Cum igitur ad regionis nostræ fertilitatem, cœli clementiam, lociq; amoenitatem, tantus doctissimorum hominum coetus accesserit, nihil speramus posthac studiosis, quod ad summam eruditionem ac uirtutem acquirendam pertinet, defuturū. Nomina igitur, & professiones singulorum, hac charta publica omnibus nota facere decreuimus: ut quilibet hic studij sui, cui animum adiunxit, ducem & præceptorem inuenire possit, & eligere.

IN SACRIS LITERIS.

Dominus Balthasar Fanemannus Suffraganeus Hildesheimensis, uir doctissimus ac facundissimus & fidei Catholicæ acerrimus defensor, Procancellarius uniuersitatis dignissimus, sacrosanctam Theologiam ex ipsis fontibus petitam docebit: & si quæ sunt inductæ opinionum nubes, sua diligentia discutiet.

Aderunt præterea Theologi tres ex Italia accersiti, qui uicissim atq; alternis operis noui & ueteris Testamenti scripta declarabunt. Disputationibus etiam crebris, si qua uidebuntur dubia atque incerta, explicabunt.

Quartus eiusdem ordinis, & nationis homo Philosophiam, artesq; liberales enarrabit, & multorum errores, qui ingenuas disciplinas & Physica Sophistice interpretati sunt, apertissime ostendet.

IN UTROQUE IURE.

Dominus Franciscus Zoanettus Patricius Bononiensis, utriusq; Iuris excellentissimus Doctor, in alma Bononiensi Academia quondam ordinarius, nunc autem Bauariæ Principis Illustrissimi Consiliarius et Collegij Iureconsultorum Decanus: cuius publica iam plura monumenta extant, & qui Andrea Alciato præceptore publicus Iurisprudentiæ Professor euasit. Ordinariam suā in iure civili prælectionem matutino aut Vespertino tempore, uti ipsi commodius uidebitur, singulari eruditione, & facundia enarrabit.

Dominus Bartholomeus Romuleus Patricius Florentinus Rector Gymnasij, summi illius Philippi Decij, nostra tempestate in Iurisprudentia Principis olim per decennium, & Mariani Sozini iunioris nec non Raynaldi Petrucij & domini Nicolai Picolominei, sacri Rotæ auditorij præfectorum discipulus: Cuius lucubrationes nunc quidem Reuerendissimo Cardinali Saluiato dedicatæ, breui typis chalcographorum excudentur: Vespertinam lectionem in legibus magna industria prosequitur.

Dominus Nicolaus Euerhardus dictus Phrysius, Caroli Ruini & Augustini Beroi doctissimorum uirorum in utroq; iure quondam auditor, Ius Pontificium summa diligentia & studio ac studiosorum utilitate, profitetur.

Dominus Wolfgangus Hungerus Aquiburgensis, doctissimi Zaslj, Item Io. Anzobini Medicis, aliorumq; clarissimorum Iureconsultorum in Gallijs per quadriennium auditor, Institutionum Legalium libros ea peritia, facundia, & dexteritate explicat, ut non modo Tyronibus apertus & iucundus: Sed prouectioribus quoq; sit fructuosus.

IN MEDICINA.

Dominus Ioannes Veldmillerus Ingoldstadiensis, insignis utriusq; Medicinæ Doctor, Galeni methodum curatiuā publice interpretatur, & quicquid pertinet ad introspectenda abditissima quæq; in hoc authore, maxima cum experientia, dilucidum & clarum efficit.

Dominus Ioannes Agricola Ammonius cuius opera & studia iam pridem in lucem edita, eiusdem Galeni libros de facultatibus simplicium Pharmacorum enarrat, & uiam bona diligentia præstruit ad componenda medicamenta pro morbis profligandis: quæ quam sint tum medicis, tum uniuerso mortalium generi necessaria, nemo ignorat.

IN LIBERALIBVS DISCIPLINIS.

Dominus Petrus Apianus Mathematicus Cæsareus, uir conscriptis & editis in ea scientia libris, celeberrimus, quicquid ad Mathematica cognoscenda requiritur, enarrat atq; exacte prælegit.

Dominus Vitus Amerbachius Vendingensis uir Græcæ & latine doctissimus euulgatis lucubrationibus orbi notus, Philosophiæ Professor Aristotelem interpretatur hora matutina. Porro idem Dominus Amerbachius altera hora pomeridiana artē oratoriam docet, isq; præceptis orationes M. Tullij Ciceronis adiungit.

Dominus Ioannes Pedioneus Constantinus orator & Poeta Laureatus Poeticæ prælectioni præest. Et qui Virgilium hoc tempore summa cum facundia atq; industria publicè prælegit.

IN LINGUIS.

Dominus Ioannes Lorichius Hadamarius orator & Poeta Laureatus linguam Græcam magna cura ac fide profitetur, semper præceptis Grammaticis, ad iuuentutis commodum & utilitatem, Homerum aut alium Authorem eiusdem linguæ subiungendo.

Paulus Aemilius Romanus Hebraicam linguam religiose docet, quod exactissime potest, cum omnia ex ipsis fontibus & Rabbinijs puer didicerit, priusquam uidelicet opera Reuerendissimi Cardinalis Augustani è sacro fonte leuaretur.

Cæterum ingenuarum artium reliquarū Professores sunt uiri Eruditissimi & liberalium artium Magistri Paulus Prunnerus Frisingensis, Erasmus Vuolfius Landspergensis, Vuolphgangus Gothardus Monacensis, & Vuolphgangus Zelius Landeshutenus, si quidem hi in liberalibus disciplinis quotidie teneram iuuentutem instituunt atq; erudiunt.

Iam uero & huius rei lectores candidos uolumus admonitos prælectiones tum has tum alias omnes clementissimi nostri Principis munificentia gratis tradi & doceri: Quod etsi ex omniu Academiarum institutis notum esse potuit: tamen indicandum duximus, ut & ij qui tenuioris fortunæ sunt, uideant se præceptorum opera non fore destitutos.

Hæc post tantam superiorum temporum calamitatem præsertim uero huius oppidi duorum annorum pestem, atq; interim bellicam obsidionem, amissionemq; nō nullorum doctissimorum hominum in Academia nostra, cunctis significanda esse duximus: Vti quisque quo studij sui gratia se conferre uelit, melius habita ratione tum pietatis tum eruditionis, apud se constituat ac deliberet. Data Ingoldstadij Kalendis Iunij. Anno Salutis M. D. XLVIII.

Vincentino d. Magis Fr. Corzio & Andrea parochi

161

d. 1540.